



# VITÆ PATRIARCHARUM AQUILEJENSIVM.



**I**n nomine Domini Jesu Christi. Amen. Post ipsius Sacratissimam Ascensionē ad Patrē, omnes Apostoli, missis fortibus, per Mundi elementa ad prædicandum Verbum, per quod omne genu flectitur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, & in quo salvamur, & salvi sumus, dispersi sunt, & licet Beatissimo Principi Apostolorum Petro, data fuerit super universalem Ecclesiam, ligandi, atque solvendi in Cœlo, & in Terra plena potestas. Spiritus tamen, qui ubi vult spirat, eundem Apostolum Principem unā cum Apostolo Paulo, super quos velut super firmas bases Ecclesia Dei fundata est, Romam deduxit. Ubi quidem Apostoli miraculis, & doctrinis prædictam Ecclesiam sub Nerone illuminarunt. Quorum discipulus B. Marcus Evangelista, qui ab ore Petri Evangelium scripsit, ex præcepto dicti Petri ad Urbem Aquilejam, famosissimum caput Italiæ, Pontificatus ab eodem Petro accipiens baculum vēnit, & per plures annos Verbum salutis ibidem prædicans, & affirmans cum Apostolo: *Quoniam hic est Christus*, Evangelium propria manu scripsit, quod hodie in Aquilejensi Ecclesia omnibus videre volentibus, quia tale lumen sub medio ponti non debet, sed super candelabrum, ut luceat, demonstratur. Et sic primus prædicator in Aquilejā fuit B. Marcus Evangelista, qui prædicationis suæ rugitu infinitis populis ad Fidem

**A** Christi conversis, & jam fundatā Ecclesiā, vul- tum Petri Magistri sui videre desiderans, & ire Romam, populum occultè dimittere satagebat. Sed Dei intuitu, vociferante populo, & omni turba Pastorem petente, B. Hermagoras iter eum B. Marco arripiens Romam pervēnit, & à B. Petro baculum accipiens Pontificatus, & velamen sacrum suscipiens, Proto-Episcopus Italiæ Provinciæ ordinatur, & super omnes Ecclesias Italiæ primatum obtinet, & reversus ad Urbem Aquilejam, Ecclesiam suam miro componens moderamine, Seniores, & Levitas ordinavit, quos ad Civitates alias trans mittebat. Tandem XX. annorum ab ipsius ordinatione decurso curriculo, omisis ejus sacris operibus, & miraculis gloriosis, quæ in ipsius Legendâ declarantur, sub Sevasto Præsīde in prædictâ Urbe Aquilejensi, Nerone Monarchiam gubernante, per diversâ tormentorum genera cum S. Fortunato Diacono suo decollatus, Aquilejensem Ecclesiam sacro martyrio decoravit, præmittens ad palmam nobiles Sacratissimas Virgines Hufoniam, Dorotheam, Teclam, & Herafinam, quas propriis manibus baptizavit. Hæc Virgines post Christi Passionem, primo per Martyrii palmam immaculato Agno sua corpora tradiderunt, quæ in Ecclesia Aquilejensi quotidie gloriosis coruscant miraculis, & hujus S. Præsulis precibus Aquilejensis provincia est ab invasione Dæmonum liberata, nec aliquis de hac Provinciâ, ubicumque fuerit, à Dæmone vexari potest, nec periclitari moribus scorpionum.

**B** Hic Beatissimo Præsuli successit B. Hilarius Patriarcha, qui sibi commissum populum in Fide Christi verbo confortans, & opere, expletis ordinationis suæ X. annis sub Numeriano Principe unā cum Taciano Archidiacono suo, & aliis